

tate, vel etiam ex calore et impetu iracundiae ortum habentis ex gravi et justa causa blasphemiat, ordinariae poenae non subiaceat, sed mitius arbitrio iudicis puniri debeat, Clarus, *¶. Blasphemia*, n. 6, et Farinac. *Prax. criminal.* quæst. 20, n. 47. Menochius, *de Arbitr. judic.* casu. 37, n. 33, cum communi aliorum, arg. c. 2, h. t. ibi: *Præsumpserit*; quod importat deliberationem, quam ebrii non habent, nec satis habere censentur iracundi, utpote qui nesciunt quomodo, et quid agant.

25. *Si iracundia ex gravi, eaque justa causa proveniat.* — Dicitur autem notanter, ortum habentis ex gravi, et justa causa ut si v. g. vir uxorem in adulterio deprehendens, ira commotus blasphemiat; si enim iracundia, ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. si quis juste privatus officio, aut alias graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam summam pecuniariam, indeque ira commotus blasphemiat, poenae ordinariae, et per consequens etiam ultimo supplicio subjacet: doctores citati, Pirhing, h. t., n. 11. Abbas, in cit. c. 2, h. t. n. 6, et alii communiter.

26. *Blasphemia per sacramenta in his partibus consueta non subiacet ordinariae poenae, bene tamen extraordinariae.* — Notandum insuper, illos, qui sine respectu erga Deum et sacramenta, sed vel ex subitanea ira, indignatione, aut ex prava consuetudine in Germania, proh dolor! satis vigente, blasphemant per sacramenta, dicendo v. g. Gotts Sacrament. Gotts tausend und Million Sacrament, etc., poenas ordinarias non incurrere, bene tamen extraordinariam, quæ in Bavaria nostra per iudices magis timentes Deum omnino imponitur, juxta dispositionem statutorum Bavariae, cit. lib. V, Tit. VII, art. 2, (der Lands-und Policey-Ordnung.)

27. *Judex blasphemiae haereticae est ecclesiasticus.* — Queritur III. Quis sit judex blasphemiae? Resp. I. Si blasphemia est haeretica, seu habens conjunctam haeresin, judex illius est solus ecclesiasticus. Patet conclusio ex dictis tit. VII, de *Haeretico*, ubi in causa haeresis solum ecclesiasticum competentem judicem esse, clare probatum habetur. Limita tamen conclusionem juxta dicenda n. 29.

28. *Non haereticae blasphemiae est mixti fori: et quomodo?* — Resp. II. Si blasphemia non haeretica sed simplex est juxta

dicta n. 16, mixti fori, et datur locus praeventionis, ita tamen, ut si unus v. g. judex ecclesiasticus illam punit, per hoc non impediatur judex saecularis, quin blasphemum etiam in suo foro punire valeat, ac e contra Farinac. q. 20, n. 39. Barbosa, *de Offic. et potestat. Episcop.* Allegat. 51, n. 93. Abbas, in c. fin. h. t. n. 9. Sanch., lib. II, *Moral.*, cap. xxxii, n. 37, et alii, arg. c. 2, h. t., ibi: Per episcopum poenae subdatur, et per temporalem potestatem mulctetur.

29. *Judex saecularis etiam haereticalem blasphemiam in his partibus punit.* — Notandum tamen, consuetudine in his partibus passim vigente iudices saeculares etiam blasphemiam haereticalem judicare et punire, idque ut apparet, ideo, quod etiam blasphemiae haereticales, v. g. Deus non est justus, ordinarie potius ex mente blasphemata, quam haereticali, et errore intellectus fiant. (ADNOTATIO XXXIX.)

TITULUS XXVII.

De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

1. *Ratio ordinis.* — Unum ex clericorum gravibus delictis est, si violant censuras, dum nempe in excommunicatione, suspensione, vel interdicto existentes aliquem actum ordinis exercent, aut in loco interdicto divina celebrant. Ob quod delictum, quia poenas contrahunt.

2. *Pœna censuram violentis clerici I est depositio ab officio et beneficio.* — Queritur I. Quas poenas incurrant clerici censuram violentes, seu qui in excommunicatione, suspensione, vel interdicto existentes aliquem actum ordinis exercent? Resp. I. Hujusmodi clericos sequentibus subjici poenis. Et quidem I. Incurrunt poenam depositionis ab officio et beneficio, non quidem ipso jure, sed sententia iudicis inferendam. Abbas, in c. *Clerici*, 3, h. t. et ibi Ancharanus, Hostiensis, Barbosa, et alii, arg. cit., c. 3, h. t. ibi: Clerici autem, si qui a suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem divina officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuae depositionis sententiam pro

ausu temeritatis incurrant. Quamvis enim hic textus de solis excommunicatis et interdictis loquatur, tamen Glossa communiter recepta in cit. c. *Clerici*, h. t. *¶. Moniti*, hanc poenam etiam ad suspensos extendit.

3. *Quæ infligi potest ante omnem monitionem.* — Porro hæc poena statim in contingenti, etiam absque ulla admonitione prævia imponi potest reo, Glossa citata, et ibi Abbas, n. 2, arg. c. *Latores* 4, h. t. Nec obstat, quod cit. c. *Clerici*, 3, h. t. dicatur: Nisi moniti sine dilatione respiscam. Respondetur enim, per hunc textum plus non indicari, quam quod episcopus possit, si velit, prius monere reum, eique si monitus statim se emendet, et gratia dispensationis hanc depositionis poenam remittere, Abbas loc. cit. Pirhing h. t. n. 3.

4. *II. Qui in excommunicatione existens celebrat, privatur beneficiis ante omnem sententiam.* — II. Poena est, quod si in excommunicatione existens divina celebret, ipso facto incurrat privationem beneficii fraternitatis 6, h. t. ibi: Presbyteros autem, et alios clericos, qui pro suis excessibus a te nexibus anathematis canonice innodati præsumpserint, vel præsumunt officia celebrare divina, rationabiliter poteris omnibus beneficiis ecclesiasticis spoliare; quod ultimum verbum spoliare indicat sententiam jam latam, ita ut episcopus solam juris executionem facere debeat, ut post Tiracquellum in l. *Si unquam* 8. C. *De revocand. donat. ¶. Teneantur*, n. 167, bene advertit Barbosa Fraternitati, 6, h. t. Ratio est, quia cum talis clericus ipso jure sit irregularis, consequenter ad obeunda munera beneficii inhabilis, merito beneficii privatur, arg. c. fin. *de Rescriptis* in 6.

5. *III. Poena censurati actum ordinis exercentis est irregularitas ipso facto incurrenda.* — III. Poena illius, qui suspensus, interdictus, vel excommunicatus actum ordinis exercent, est irregularitas, quæ ipso jure contrahitur. Communis et certa ob jura clara. Et quidem de suspenso patet ex apostolica 9, h. t. c. 1, § fin. *de Sentent. et de re Judic.* in 6, ibi: Quod si in suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis irregularitatis laqueo se involvet. Concordat c. 1, § fin. *de Sentent. excommun.*, in 6. De Interdicto habetur, c. *Is cui* 20, eod. in 6, ibi: Is cui Ecclesiae interdictus est ingressus, etc., irregularis elicetur, si contra interdictum aijusmodi divinis in ea se ingerat. De excommunicato autem textus sunt in can. *Si*

quis episcopus, et seq., *cau.* 11, q. 3, juncto c. penult., et ult. h. t.

6. *Ad quam tamen contrahendam requiritur primo, ut censuratus exerceat verum ac proprium actum ordinis. Actus ordinis ad propositum qui sint, et qui non?* — Resp. II. Ad hoc ut censurati incurrant irregularitatem, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, ut verum ac proprium actum ordinis exerceant, cujusmodi est celebratio Missæ, v. g. collatio sacramenti, ordinis, confirmationis, administratio extremæ unctionis, etc., quia etsi censuratus graviter peccet, tamen irregularitatem non incurrit solum exercendo actus jurisdictionis; qualis v. g. est dispensatio in votis, juramentis, absolutio a censuris, si fit absque stola, et aliis ceremoniis; prædicatio verbi Dei, assistentia matrimonii; quia omnes hi actus ordinis non sunt; qualis tamen esset, et irregularitatem trahere, si censuratus sacerdos sponsis solemnem benedictionem impertiretur, c. 1 et c. *Vir autem* 3. *De secundis nuptiis.* Suarez, *de Censuris*, disp. 11, sect. 3, n. 18. Tales etiam forent collatio baptismi cum solemnitate; cantatio Evangelii cum stola. Epistolæ cum manipulo, etc. Non item cantatio Evangelii sine stola, et manipulo; collatio baptismi privata, etc., quia illi a solis ordinatis vi ordinis, isti vero etiam a non ordinatis exercentur. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 244. Sylvester *¶. Irregularitas*, q. 13, dict. 1 et 4.

7. *Suspensus et excommunicatus vitandus irregulares fiunt, si absolvunt aliquem sacramentaliter, etsi nulliter agant.* — Porro inter actus ordinis reputatur etiam absolutio sacramentalis, quæ fit a suspenso, vel excommunicato etiam vitando; quamvis enim hi utpote jurisdictione privati invalide absolvant, nihilominus, quia quantum in se est, exercent actum ordinis, cum idem faciant, quantum in se est, quod alius, irregularitatem contrahunt, sic ut ille, qui, rebaptizando invalide agat, et verum baptismum non conferat, can. *Confirmandum*, 59, dist. 50, can. *Afros*, 3, dist. 98, c. *Ex litterarum* 2, *de Apostat.*

8. *Objectio.* — Nec obstat, si dicatur, ad incurrendam irregularitatem requiri actum in suo genere perfectum, uti patet in mutilatione, et homicidio, quod solummodo attentatum, irregularitatem non inducit, nisi etiam in actu ipso sit completum, per dicta tit. XII. *de Homicid.*, § 2. Nam contra est,

quod etsi talis absolutio non sortiatur suum effectum in ordine ad liberationem a peccatis, sortiatur tamen illum in ordine attentionis, et exercitii actus ordinis, in quo genere talis absolutio consummata, et perfecta est, sicut attentata, etsi invalide facta rebaptizatio, ex qua irregularitatem contrahi certum est per jura numer. præced. allegata.

9. *Secunda conditio est, ut censuratus teneat, seu cum culpa actum ordinis exerceat.* — Secunda conditio ad contrahendam præfata irregularitatem requisita est, ut censuratus temere et culpabiliter exerceat verum seu proprium aliquem actum ordinis. Suarez, de Censuris, p. VII, dist. 9, sect. 2, dub. 1, § *Hinc sequitur*, Pirhing, h. t. n. 40. Gonzalez in c. *Apostolica*, 6, h. t. n. 15 et alii. Ratio est, quia hæc irregularitas est imposita in poenam culpæ, seu peccati, arg. cit. can. *Si quis*, 6, cau. 11, q. 3, ibi: Si ausi fuerint de ministerio sacro contingere; et can. *Si quis*, 7, eod., cau. et q. ibi: *Præsumpserint*, c. *Latores* 4, h. t. ibi: Postquam interdicti, vel excommunicati fuerint, divina præsumpserint officia celebrare; et infra: Si deliquisse constiterit; et c. 1, de *Sentent. et re judicat.* in 6, ibi: Si damnabiliter se ingesserit; cum Concordant. ergo ubi nulla culpa est, nec poena hæc incurritur, per vulgaria.

10. *Hinc qui ignorat, se esse censuratum, irregularitatem non incurrit, exercendo actum ordinis.* — Hinc colligitur primo eos, qui invincibiliter ignorant se esse excommunicatos, suspensos, vel interdictos, non incurtere hanc irregularitatem. Doctores c. *Apostolica*, 9, h. t. ibi: Vos reddit probabilis ignorantia excusatos; bene vero illos, qui hujus ignorantiam vincibilem, seu crassam, supinam habent, arg. cit. c. *Apostolica*, et ibi Glossa 7. *Probabilis*, Abbas, num. 3. Ratio est, quia ignorantia invincibilis et probabilis, non item crassa et supina excusat a culpa.

11. *Nec qui in extrema necessitate absolvit.* — Colligitur secundo, etiam illum censuratum non fieri irregularem, qui extrema urgente necessitate, v. g. in articulo mortis aliquem absolvit, casu quo alius sacerdos a censura immunis haberi nequit, eo quod in articulo mortis, quivis censuratus valide et licite absolvat vi concilii Trident., sess. 14, cap. VII.

12. *Nec qui ad vitandum scandalum, vel infamiam, actum ordinis exerceat.* — Colligi-

tur tertio, illum quoque immunem esse ab hac irregularitate, qui in censura existens ad vitandum grave scandalum, vel ad vitandam infamiam exercet actum ordinis, prout contingere potest, si quis ob delictum occultum excommunicatus existens manifestationem delicti, indeque infamiam sui induceret, si actum aliquem ordinis exercere omitteret. Avila, loc. cit. Pirhing, h. t. n. 40. Ratio est, quia leges humanæ obligare non videntur cum tam gravi incommodo.

13. *Nec ille, contra quem sententia censuræ evidenter est nulliter lata.* — Colligitur quarto, nec illum irregularitati subiacere qui in censura existens exercet ordinis actum, casu quo sententia censuræ contra se latæ evidenter est nulla, Pirhing, h. t. n. 44. Avila, loc. cit. Ratio est, quia universaliter loquendo non debet is poenam canonicam sustinere, in cujus damnationem non est canonica prolata sententia. Et sicut hujusmodi nulla sententia caret juris effectum, sic auctoritate, et nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi, aut vulgi laicis nomen habere mereatur sententia, ut dicitur Clem. 2, § *Ut igitur de Sentent. et re judic.*, et concordat l. *de re judic.*, ff. de re judic.

14. *Varie dubitare quis potest de sua excommunicatione.* — Quæritur II. Utrum dubitans, an vere sit excommunicatus, necne, incurrat irregularitatem exercendo aliquem actum ordinis? Ante responsionem nota, dubium de excommunicatione posse varium esse, v. g. primo aliquis scit quidem se per judicem ecclesiasticum fuisse excommunicatum, dubitat tamen, an rite et legitime consequenter an excommunicatio illius vere subsistat, necne? Secundo potest quis dubitare, an de facto excommunicatio contra se lata sit, eo quod id audiat quidem, vel famam, aut rumorem sciat, dubitat tamen, an rumor verus sit? Tertio potest quis dubitare, utrum actum, cui alias excommunicatio certe annexa est, v. g. homicidium commiserit, necne? Quarto dubitare potest, num delictum, quod certo perpetraverit, annexam habeat excommunicationem? Hoc notato

15. *Qui scit, se esse a iudice ecclesiastico, excommunicatum, et dubitat an rite et legitime, irregularis est, si in illa ministrat. Nec juvat appellatio post latam excommunicationem interpositam.* — Resp. I. Qui certo scit, se a iudice ecclesiastico excommunicatum fuisse, et solum dubitat, num excommunicati hujus-

modi legitime lata et valida sit, necne, debet se pro excommunicato habere, ac propterea etiam sub poena irregularitatis ab omni exercitio ordinis abstinere. Communis et certa, arg. cit. c. *Illud*, 5, h. t. etc. *Per tuas, de Sentent. excommunic.* Cum concordantibus, in quibus habetur etiam in casu, quo per episcopum injuste lata est sententia excommunicationis, eam servare debere, donec excommunicatus absolvatur; ergo multo magis in dubio. Hinc dicitur can. *Sententia* 1, cau. 11, quæst. 3. Sententia pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est; nec juvat, si contra eam jam latam appellet; bene vero si antea contra minas excommunicationis, vel eam ferendam appellet, arg. cit. c. *Per tuas*, et c. *Pastoralis*, 53, c. *Præterea*, 40, de *Appellation.* prout amplius dictum lib. II, tit. XXVIII, de *Appellation.*, a num. 212.

16. *Dubitans num contra se lata sit sententia excommunicationis, vel an perpetravit delictum, cui excommunicatio est annexa, tenetur sub poena irregularitatis abstinere ab exercitio ordinis.* — Resp. II. Si quis de excommunicatione sua secundo, et tertio modo dubitat, irregularitatem incurrit, si stante tali dubio aliquem actum ordinis exercet. Fagnanus in c. *Ne innitaris de Constitut.*, a n. 174. Barbosa in c. *Illud*, 5, h. t. n. 7. Garcias. de *Benefic.* p. VII, cap. II, num. 18, arg. c. *Illud*, 5, h. t. ubi episcopus Hildesemensis ex eo, quod in dubio num revera esset excommunicatus, cum solum ex fama id habuerit, actum ordinis exercuerit, censetur censuram violasse, et c. *Audientiam, de Homicidio*; ibi: Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, vestra discretionis duximus respondendum; quod cum in dubiis sententiam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret. Item c. *Significasti*, 18, eod. ibi: Quod si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interierit, in dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, etsi forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare. Concordat c. *Petito* 24, eod. Ratio est, cum agitur de animæ periculo, in dubio tutiorem partem eligere debemus, per jura citata, juncta c. *Juvenis de Sponsalib.* cum Concordantibus adeo, ut teste Fagnano, loc. cit. n. 17, apud sacros canones certum quasi axioma sit: quod in materia morali,

ubi agitur de salute, et periculo animæ, teneamur sequi partem tutiorem.

17. *Solvitur objectio.* — Nec dicas cum Sanchez in Decalog., lib. I, cap. x, num. 11 et 64 et alii; illud in sacris canonibus toties repetitum, quod in dubiis circa materiam moralem tutior pars sit eligenda, non sit de præcepto, sed tantum de consilio; cum cæteroquin in dubio melior sit conditio possidentis, consequenter si quis habet dubium vel facti de excommunicatione, potest frui privilegio possessionis, in qua censetur esse libertas, et fama, et se reputare immunem ab excommunicatione. Nam contra est: tum quod sacri canones adhibeant verba non simplex consilium, sed verum præceptum importantia, v. g. Cum in dubiis debeamus eligere tutiorem; item: in dubiis debet sacerdos a sacerdotali officio abstinere. Tum quod cit. c. *Illud*, 5, h. t. episcopus ex eo, quia in simili dubio tutiorem partem non elegit, et a divinis non abstinuit, de rigore juris deponi debuisset; consequenter in hujusmodi dubio tutiorem partem sequi, et a divinis abstinere non simplex consilium, sed præceptum est; cum ob transgressionem solius consilii episcopus deponi non potuisset, can. *Quisquis*, 3, cau. 14, q. 1, ibi: Præcepto non obedire, peccatum est; consilio si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis; et infra: Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.

18. *In materia morali, præsertim censuræ et irregularitatis in dubiis debemus sequi tutiorem. Consilium sequi nemo tenetur.* — Ad illud quod in dubio melior sit conditio possidentis, respondet Fagnanus, loc. cit. a n. 191, hanc regulam solum procedere in foro judiciali externo, non item in materia morali, quando agitur de periculo animæ: vel si etiam in hac materia procedit, Deum, et legem esse in possessione; cum lex divina universaliter velit, ut in negotio animæ fugiamus periculum, juxta illud, qui amat periculum peribit in illo. Quæ responsio si non videtur alicui sufficiens; respondetur, quod eisi dato non concesso, circa alias materias in dubiis eligere tutiorem sit solius consilii, et non præcepti; tamen circa excommunicationem, et effectus illius sit revera de præcepto, ob claros textus supra num. 16, allegatos.

19. *Non tantum vitandus, sed etiam toleratus excommunicatus irregularitatem incurrit*

si actum ordinis exercet. — Quæritur III. An poenam irregularitatis incurrat non tantum excommunicatus vitandus, sed etiam tolerandus, præsertim occultus, si aliquem actum ordinis exercet? Resp. Affirmative. Ratio est, quia jura indistincte loquuntur: ergo indistincte sunt intelligenda, c. *Quia circa* 22, de Privileg. Nec obstat, quam aliqui obijciunt, Bulla Martini *Ad abolendam*: quia per eam solis fidelibus non excommunicatis habentibus communicationem cum excommunicatis, minime vero ipsis excommunicatis favorem aliquem conferre voluit: prout patet ex illis verbis Bullæ ad finem positus: Pro hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

20. *Non item excommunicatione minore ligatus.* — Quæritur IV. Num etiam in excommunicatione minori existens contrahat irregularitatem celebrando aliquem actum ordinis? Resp. Negative, textus clarus habetur c. fin. h. t. ibi: Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullus tamen notam irregularitatis incurrit.

21. *Censuratus etiam minoris ordinis actum exercens est irregularis.* — Quæritur V. Utrum irregularitatem etiam incurrat censuratus, si actum ordinis minoris acolythus, v. g. exerceat? Resp. Affirmative, si id cum solemnitate, et quasi ex officio faciat. Joan. Andreas in c. 2, h. t. n. 2. et ibi Abbas, n. 4. Hostiensis, § *Sed quidquid*. Barbosa, n. 3. Fagnanus, n. 7, arg. cit. c. 2, h. t. Ubi generaliter sine distinctione inter majorem, et minorem ordinem fit dispositio, sicut etiam c. 1 § fin. c. *Is cui* 20, de Sentent. excommuni. in 6. Sine distinctione inter dictos ordines de irregularitate pronuntiatur, ibi: Si divinis se ingerat, in suo agens officio, ut prius; atqui ubi jus non distinguit, nec nos debemus distinguere, cit. c. *Quia circa* 22, de Privileg. ergo.

22. *Si id cum solemnitate faciat.* — Dicitur autem notanter: Si id cum solemnitate et quasi ex officio faciunt; si enim hujusmodi actum ordinis minoris sine ulla solemnitate, modo, quo eum juxta receptam consuetudinem de facto passim faciunt laici, exercent clerici, eos ab irregularitate immunes esse, satis communiter docent theologi, in specie Navarrus manual. cap. xxvii, n. 242, Sylvester § *Irregularitas*, quæst. 27, et ex Canonistis Covarruvias in c. *Alma mater*, p. 1, § 6, n. 9. (ADNOTATIO XL.)

TITULUS XXVIII.

De clerico non ordinato ministrante.

1. *Sensus rubricæ.* — Inter alia clericorum delicta, unum, idque grave est, si exerceant ordinem, quem non habent, v. g. si diaconus Missam celebret, solemniter baptizet, nuptias, aut aquas benedicat, etc. Hinc:

2. *Pœna exercentis ordinem, quem non habet, est. I. Irregularitas, et qualis?* — Quæritur I. Quas pœnas incurrat actum ordinis exercens, quem non habet? R. Sequentes. Prima et præcipua est irregularitas, ita ut ad superiores ordines, v. g. diaconus ad sacerdotium ordinari non amplius possit. Omnes, textu claro c. 1, h. t. ibi: Nunquam ordinetur: videlicet ad ordinem, quem nondum habet. Concordat c. 2, eod. Respectu tamen aliorum, quos jam prius habuit, non fit irregularis, bene vero a proximo suspensus, juxta statim dicenda.

3. *II. Est suspensio ab ordine ita suscepto.* — Secunda pœna talis clerici est suspensio ab ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium, cit. c. 2, h. t. ubi statuitur, quod diaconus, qui Missarum celebrationem usurpare præsumpserit, etc., ad sacerdotis officium non poterit promoveri: a diaconatu quoque biennio vel triennio maneat suspensus.

4. *Non item ab alio.* — Dicitur notanter ab ordine proxime suscepto: cum enim nec in hoc capitulo, nec alibi fiat mentio aliorum inferiorum ordinum, horum suspensionem talis clericus non incurrit. Suarez de Censur. disp. 42, sect. 4, n. 4. Pirhing h. t. n. 3, quia dispositio pœnalis et odiosa, qualis est ista, restringenda potius, quam extendenda est, arg. c. *Odia*, 15, de Reg. jur. in 6.

5. *III. Est excommunicatio. IV. Degradatio.* — Tertia pœna est excommunicatio c. 1, h. t. ibi: Si quis baptizaverit, aut aliquod officium divinum exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia; ubi verbum abjiciatur indicat hanc excommunicationem non ipso facto incurri, sed primum infligi debere. Suarez loc. cit. n. 2.

Quarta pœna est degradatio, et traditio curiæ sæculari, juxta dicenda intra n. 13 et seqq.

6. *Ad contrahendam pœnam irregularitatis requiritur, ut quis exerceat proprium actum ordinis.* — Resp. II. Ad hoc ut clericus non ordinatus irregularitatem n. 2, specificatam incurrat, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, ut proprium actum seu ministerium ordinis exerceat, quod non nisi ab ordinato exerceri potest; prout contingeret, si minorista epistolam cum manipulo, vel subdiaconus Evangelium cum stola solemniter cantaret, aut horum aliquis, vel diaconus celebraret, solemniter baptizaret, confirmaret, sacramentaliter absolveret, extremam unctionem conferret, etc., prout in simili diximus supra tit. præced. n. 6, et cum aliis docet Navarrus Manual. cap. xxvii, n. 242. Suarez de Censur. disp. 42, sect. 4, Pirhing h. t. n. 5.

7. *Et quidam serio.* — Secunda conditio est, ut clericus hujusmodi ordinis actum exerceat serio saltem quoad exteriorem actionem, si enim ex joco duntaxat, vel per modum ludicræ, vel scenicæ actionis id facit, in ordine ministrare, vel actum ejus exercere non censetur, sed potius representare eumdem, consequenter irregularis non evadit. Navarrus loc. cit. Bonacina disp. 7, de Irregular. q. 3, p. 6, n. 1. Sylvester § *Irregularitas*, quæst. 12, limit. 2. Suarez loc. cit. n. 16. Pirhing h. t. n. 6, qui tamen cum citato Suarez bene subjungit, sufficienter, ad propositum serio agere illum, qui exteriorem actionem ordinis serio producit eo modo et fine, ut homines decipiat, vel persuadeat, se ex vero ac sincero animo et intentione etiam interna talem actum ordinis exercere, etsi revera talem intentionem et mentem internam non habeat, imo nec habere possit, quando scit, quod ordinem requisitum pro actu non habeat. Alias enim fere nullus hanc irregularitatem incurreret, hoc ipso, quod nullus, nisi crassus, qui scit, se ordinem non habere, intentionem internam habeat verum proprium ac validum illius actum ex recendi.

8. *Ac temere.* — Tertia conditio est, ut temere et scienter id faciat, Suarez loc. cit. n. 16. Avila de Censuris, disp. 9, sect. 2, d. h. 13, arg. c. 1, h. t. ibi: Propter temeritatem, hinc qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, se ordinem, cujus actum exerceat, habere, irregularitatem non incurrit; quia hæc ac propositum imponitur in pœnam peccati, quod si abest, etiam pœna abesse debet.

9. *Cæterum non refert, num minoris vel majoris ordinis actum exerceat, si id solemniter facit.* — Sylvester loc. cit. Avila loc. cit. et nonnulli alii addunt etiam quartam conditionem, videlicet, ut quis exerceat proprium actum ordinis sacri, eo quod actus ordinum minorum ex consuetudine etiam laici exercere soleant. Verum circa hanc conditionem discurrendum sicut supra tit. præced. n. 21, de clerico censurato exercente actum ordinis minoris, videlicet, quod si id faciat solemniter, et quasi ex officio, irregularitatem æque incurrat, ac si actum ordinis sacri, seu majoris exerceret, per jura, et rationes cit. n. 21, allegatas; præsertim cum etiam c. 1, h. t. universaliter dicatur: Si aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, nunquam ordinetur: Si vero id facit absque ulla solemnitate, modo, quo juxta consuetudinem practican laici, irregularis non erit, Navarrus loc. cit. n. 242, dicto 7. Suarez loc. cit. n. 15.

10. *Laicus actum etiam majoris ordinis exercens, non fit irregularis.* — Quæritur II. Utrum laicus exercendo actum ordinis præsertim majoris, v. g. celebrando Missam, absolvendo sacramentaliter, irregularitatem, vel aliam pœnam, et quam incurrat? Resp. I. Laicus qualemunque actum ordinis exercens irregularitatem non incurrit. Barbosa in c. 1, h. t. Bonacina de Censuris. Disp. 7, quæst. 3, pun. 6, n. 1, § *Dixi clericus*, Henriquez lib. II, § *Baptism.* cap. xxix, § 1, prope finem. Layman lib. I, tr. 5, p. 5, cap. III, n. 3. Ratio est, tum quia rubrica hujus tituli, de solis clericis non ordinatis, minime vero de laicis loquitur, consequenter ad hos dispositio pœnalis extendi non debet, arg. c. *Odia*, de Reg. jur. in 6, præsertim cum pœna irregularitatis in specie extra casus in jure expressos non incurrat, c. *Is qui*, 18, de Sentent. excommuni.

11. *Valeat argumentum a rubro ad nigrum.* — Nec dicas pro laicis hanc pœnam satis exprimi c. 1, h. t. Ubi universaliter et sine distinctione inter clericum et laicum statuitur, quod quicumque non ordinatus aliquod divinum officium exercuerit, sit irregularis; respondetur enim textum quidem indistincte loqui, esse tamen intelligendum juxta rubricam tituli, quæ expresse de solis clericis sonat; valet enim argumentum a rubro, ad nigrum, si nigrum non contradicat rubro juxta amplius dicta in Proœmio. Lib. I, § 6, a n. 96.